



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quid sit Exemplu[m], & à quibus locis sumatur. Cap. XXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

proficisci. quo loco abſtinebit à quadam loquendi forma, qua nonnulli concionatores vti conſueuerunt: vt incontinentes, auaros, & ambitioſos, improprie nullam fidem habere aſſirment. Veriſimile eſt, quòd plerunq; ita ſit, vt virum bonis parentibus & catholicis ortum, & in Eccleſia educatum, hereticos fugere. Vſos autem eſſe ſanctos patres tum certis, tum incertis ſignis, tum etiã veriſimilibus, eorum libri teſtãtur. In enthymematibus conſciendis hæc præcepta ſeruãda ſunt, vt nec eas res aſſumamus, quæ à re ipſa longè amota ſunt, nec eas, quæ vulgares nimis videntur, ne paſſim aſſumpta videantur. qui enim in hæc vitia incidit, nonnihil detrabit exiſtimationi ſuæ, & alienat à ſe auditorũ animos, qui res friuolas & admodum vulgares non libenter admittunt.

Quid ſit Exemplũ, & à quibus locis ſumatur.  
Cap. XXV.

**E**XEMPLVM eſt, cùm ex aliqua re particulari, rem particularem probamus, & dicitur imperfecta inductio: vt impietatem ſuperbiæ, auaritiæ, libidinis, vitiorum, & calamitatum omnium altricem eſſe, Mabuſmetana impietatis exemplo licet oſtendere. Quia igitur in concionibus ad populum, exempla maximam vim ad perſuadendum habent, veriſimum enim eſt illud, quod vulgo etiã dicitur; Exempla plus mouere, quàm verba; exemplis ſepè vtetur Eccleſiaſticus orator. Caueat tamẽ, nè, dum omnia, quæ dicit, exemplis illuſtrare nititur, in illud labatur vitiũ, quod ante ducentos et amplius annos irreperat, vt ficta, ridicula, minimeq; veriſimilia, recitarentur. Exempla porrò ſumenda ſunt vera, grauiataque

que illustria, & in primis à Christo Domino, quem omnium virtutum exemplar dicimus; cum ità de seipso dixerit: Exemplū dedi vobis, vt, quemadmodū ego feci, ità & vos faciatis. Sacra litera vberem copiam ad res omnes, de quibus apud populū agendum est, exemplis confirmandas suppeditant. Iudith ciues suos, grauissima obsidione circumuentos, atq; animo deiectos, exemplis veterum patrum, ad constantiam adhibendam, & fidem in Deum habendā confirmat. Christus saluator noster prophetarum exemplo, ad tolerantiam nos hortatur: deterret exēplo vxoris Loth ab inconstantia. D. Paulus ab idololatria, fornicatione, murmuratione, ceterisque vitijs abstinendum docet, recitatis grauissimis pœnis, quibus Iudæi, qui in huiusmodi vitia lapsi fuerant, mulctati sunt. Sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, ceterorumq; omnium, quos nobis venerandos, inuocandos, et imitandos S. mater Ecclesia proponit, valdè mouent exempla, eo præsertim tempore, cum illorū sanctorum, quorum exempla sumimus, solennitates celebrantur. Atque id maximam vim solet habere, si eorum, qui eisdem ciuitatibus, vbi sermo habetur, præfuerunt: & quorum gratissima memoria colitur, in medium proferantur facta, aut sententiæ: aut multū valebit ad persuadēdum aliquid, si Mediolani S. Ambrosii præclarū aliquod factum aut dictum commemoretur. Eadem ratione si Veronæ S. Zenonis exemplo & autoritate, populus ad aliquam virtutem impellatur. Domesticis enim exemplis magis excitamur, & paternis virtutibus incredibiliter commoueri consueuimus. Nonnunquam, rarò tamen, ethnicorum & alienorum exempla, in sacris literis reperiuntur; habent-

habentq̄, si oppositè in medium afferatur, magnam vim propterea quòd contactam etiam habent eam argumentationem, qua dicitur, à minori ad maius, vt legimus apud Hieremiam: Transite, inquit, ad insulas Cethim, et videte; & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est huiuscemodi, si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Christus saluator noster Reginam Sabe & Nimitas in exemplum adducit, & illud inculcat: Nonne ethnici hoc faciunt? Diuus Paulus vehementer vrget, cum ait: Omnino videtur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis non est inter gentes. Sanctus Basilius verò ad fratris filios epistolam scripsit, in qua egregiè locū hunc tractat, quomodo ex gestis gentilium posui quis exempla ad virtutem colligere: in sacris literis exemplis belluarum, & rerum sensus expertium, segniores acriter reprehenduntur. Multum mouet locus ille Esaiæ: Cognouit bos possessorem suū, & asinus praesepem Domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et non minus illud Hieremie: Miluus in caelo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentūs sui: populus autē meus non cognouit iudicium Domini. In Prouerbijs etiam piger exemplo formica excitatur. Saluator noster auium, & liliorum exemplo, à nimia victūs & vestium cura, & solitudine nos auocat.

Quid sint loci communes.

Cap. XXVI.

**P**ORRO autem cum argumenta, aut ex rerum vī naturaq̄, ducantur, aut sumantur ab ijs, qua videntur